

jacet, Sclavos compressit, & Saxones Orientales in fidem arctius astrinxit. Inde reducto ad Rhenum exercitu, WORMATIÆ confedit. Caroli filius cum inter Luppiam & Ruram ageret, & in pagum Draigin, quem Dreni alij vocant, iter ad Luppiam intenderet, rebellium Westfalorum copias occurrentes habuit, quibuscum equestri prælio commissus, felici eas dimicatione magnâq; clade obrivit, exteris, qui se junxerant, in fugam actis dispersisq;. Inde Victor se WORMATIAM ad patrem contulit

Regressus  
deinde  
hyberna  
in Diœ-  
cesi Pa-  
derborn.  
habet.

Nec Carolus diu WORMATIÆ quietus: nam cum didicisset Westfaliam adhuc ex rebellionis incendio fumare, Widekindumque inter Transalbianos oberrare, non sine metu novæ concitationis, anno licet in hyemem prolabente, cum exercitu in Westfaliam properavit, certus hyberna inter Saxones agere, ne quid Widekindus Saxonesq; turbare auderent. Quam in rem montes Teutonicos ingressus, castra ad Ambram, in pago Huettage, ac juxta castrum Saxonum, quod Schidrobürgum dixere, posuit, ac Natalem Christi, in vico Luidi, quod Lude oppidum est, celebravit. Omnia hæc loca intra diœcesin Paderbornensem: conspiciunturque adhuc vestigia castrorum ad Schidram, quæ videre mihi licuit; ut vel inde Schiræ vel Schidrae in tutiori Saxonum munimento sedem Episcopi designasse Carolus videri possit inter Angrivarios. Quæ pars diœcesis vicis & incolis antiquitus cultior fuit; monstraturque haud procul ab Ambrâ, quæ nunc Emmera dicitur, in edito monte aliud castrum Saxonum Harnesbürgum, quod Arminij Cheruscorum ducis & Vari debellatoris tradunt. Rudera, vallorumque ruinas, & ad latus montis oppidi vestigia videas, utrimque istic claustra montium, Ambrâ per valles & agrorum planitiem interlabente. Ad Ludam etiam Pymontani fontes & acidulæ, naturæ beneficio & medicorum arte celebres, cujusmodi loca Carolus ad cultum urbium incolarumq; amare visus.

## Annus Christi 785.

Hadriani Pontif. 14.

Caroli M. Franc. Reg. 18.

Atque hic dum Carolus ad Ambram castra habuit, populabundus Remam ad confluentes VVernæ & Visurgis accessit; tantò etiam cupidiùs, quòd Remam Pipini Regis Patrisque castis ac memoriâ celebrem didicerat, certus istic per Visurgim transportare exercitum ad Albim inferiorem. Obstitit consilio temporis asperitas, & hyems pluvijs aquisque fœda. Quare reflexo itinere per diœcesin Eresbürgum movit; quâ in arce, cui Ægil urbem adjicit, hyberna delegit, evocatis uxore Fastrada & liberis, annonâque ex Francia per Rhenum

*Ann. Franc.*